





COLLEGII IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T.

D E C A N V S

D. ERNESTVS GOTFR. CHRISTIANVS  
K L V G E L

CODIC. PROF. P. O. CVR. PROVINC. ELECT. CONSIST.  
ECCLES. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. WITTENBERG.  
IVDIC. ITEM PROVINC. IN LVSAT. INF. MARCH.  
ASSESSOR ORD.

L. B. S.

---

i n e f t

*exemplum magnae suspicionis furti commissi ex  
indiciis coniunctis.*

COLLEGII IAVIDICIS  
DE REFORMATIO  
NIS ET CONSERVATIONIS  
CHRISTIANARUM  
TRADITIONUM  
ET CULTUS  
SANCTI IACOBI  
AUGUSTINIANI  
IN  
CATHOLICO  
ECCLESIA  
SACRA MINISTERI  
PRO TERRITORIIS  
IMPERII ROMANORUM  
VSS2205/010

Quo plura sunt, cum aliquod delictum commissum sit, contra aliquem indicia, quin eo maior suspicio oriatur, ab hoc ipso delictum esse perpetratum, nemo vocabit in dubium. Nam una, scribit CARPOV. in praef. rer. crimin. P. III. Quaest. CXXIII. n. 57. prae-  
sumit aliam iuuat, plurimaque indicia coniuncta fidem faciunt. At ea indicia ita modo cum inter se tum cum delicto cohaereant, ut simul considerata, nos permoueant ad credendum, hominem, qui deprehensus est, aut delatus, vel auctorem ipsum esse delicti, vel sal-  
tim ad id faciendum adiuuasse. Indicia enim alia non admittere, quam quae iustam suspicionem efficere possint, etiam si leges ci-  
viles hoc non praeciperent, tamen ipsius fanae rationis argumentis iubemur. Leges vero etiam id volunt, veluti Const. Crim. Carol., qua indicia legitima postulantur crebro ad inquirendum aduersus certam personam, quae his vocabulis significantur, redliche Anzeigung, glaubwürdige Anzeigung, redlicher Argwohn, glaubwürdig Argwöhnig, redlicher Verdacht, redliche Vermuthung, glaubwürdiger Verdacht, redliche Wahrzeichen, genugsame Anzeigen, Art. VI. VIII. XI. XIX. XXII. XXIII. XXVII. et aliibi. Quamobrem ante omnia indicia de-  
bent esse concludentia. Nexus scilicet inter delictum et indicium sit, non quidem semper necessarius, attamen possibilis, ut commode ex-  
inde ducatur conjectura. Deinde hinc quoque sit, ut indicia valde remota, cum ex iis magna probabilitas sumi nequeat, nexusque nimis tenuis sit, vix attendantur, reusque accusatus, plerumque etiam cum

4

absolutione a solutione expensarum, dimitatur. Sed, quamvis sint proximiora, nihil tamen fecius, ut omnino suspectum habere reum possimus de facinore patrato, non semper dant effectum. Propterea etiam, si plura sint, possunt et debent coniungi, ex qua coniunctione demum, hunc ipsum, qui accusatur criminis, id commississe, praesumendum est. Id etiam fieri voluit Imper. Carolus in sua constit. art. XXVII. verbis: wo aber solcher argwöhnlichen Theile oder Stücke etliche bey einander auf jemand erfunden werden. Evidem ibi de tortura agitur. Nihil tamen obflat, quo minus possint ista verba ad alia quoque veritatem eruendi media, imo in leuioribus delictis ad ipsam punitionem, applicari. Bene etiam ad hunc articulum monet KRESSIUS in *commentario suo not. i.* itaque index non debet attendere defensorum artes, qui singulorum indiciorum fidem ex eo, quod hoc vel illud sigillatum non concludat, eleuare aggreditur. Nam prae sumptio contra inquisitum non consistit in singulis indiciis separatis, sed in pluribus coniunctis. Proinde defensorum genuinorum est, demonstrare, quod vel singula indica sunt falsa, vel quod singulis singulare obstant conjecturae contrariae, non autem, quod singula probata, separatis non faciant indici fidem. Rarius unum erit indicium, ex quo solo vel condemnatio vel medium sequatur ad eruendam veritatem aptum. Scribitur quidem passim de unico indicio sufficiente, idque aliquando vel ipius Const. Crim. Car. art. XXVIII. probari putatur. Verum vel de delictis tautum quaeritur leuissimis, veluti iniuria leuiori eaque homini inferioris fortis ab alio eiusdem classis illata, in quibus saepius ex vere unico indicio, nonnunquam etiam leui, non tamen remoto, prae sumptio sumitur pro veritate accusationis, in quo ipso vero paullulum a regula aberratur, bona quamvis mente, veluti, si metus sit periurii eius, qui negat, vel, si expensarum modus maiorem quasi poenam infligeret reo, qui vltiore inquisitione instituta absolui posset, eaque

eius sit conditio, ut damnum aliquod insigne ex poena, quae in hac specie semper minuitur, non sentiat. Vel, si de unico sufficiente indicio agitur, ipsum factum criminosum sub indicio intelligitur, quod minus recte fieri puto, cum indicia proprie tantum consistant in coniecturis, quae, si probata sint, nos adducunt ad credendum, certum aliquem hominem delicti esse reum. Vel tandem indicii verbum cum facti illiciti ipsius probatione confunditur, ut est, in ea quidem causa, in primis confessio. Istud unicum igitur, quod dicitur, indicium, si propriam species verbi notionem, vere ex pluribus compositum est, scilicet ex pluribus, quae circumstant, rebus coniunctis, atque ob eam causam unum per aggregationem nominatum est a CLASENIO, allegato a RICHTERO in *instit. iur. crim.* §. 95. et aliis. Et in ipso illo, cuius mentionem supra feci, articulo XXVIII. Const. Car. quamuis unicum videatur proponi indicium, plura tamen omnino enarrantur, intentio nempe rei in loco eo, in quo facinus commissum est, dominium in ea re eius, qui accusatur, et possessio eiusdem rei proximo ante delictum perpetratum tempore.

Quae de conjugendis a iudice indiciis in ipsis negotiis forensibus criminalibus memorata sunt, ea, data hac opportuna occasione, ad furtum applicabo ex exemplo, quod nuper Scabin. Wittenb. se dedit obuium in causa, ad ipsum mense Octobri praeterito ad decidendum delata. Duo Iudei ex classe illorum, qui ostiatis mercari solent, vendentes atque ementes vestes attritas aliasque res, quibus post longum vium domini iam carere posse existimant, pro quorum nominibus litteris A. et B. vtar, in pago quodam in Electorali Saxonica terra sito circumuerant, adeuntes ad singulas domus mercatus causa. Hoc quidem ipsi, capiti deinde, confitebantur. Erat ille pagus vrbi cuiusdam fere contiguus. Fatebatur vterque etiam, quod antea in illa vrbe

simul fuissent, et quod in illa vrbe Iudeus aliis, quem sub littera C.  
 intelligam, ad eos in id diuersorum venisset, in quo per breue tem-  
 pus illi duo morati erant. Fuisse tamen hunc C. ipsis plane igno-  
 tum, asserebant, in qua re C. itidem cum illis postea captus, cum  
 his ipsis conueniebat. Viderat autem foemina eius pagi eodem tem-  
 pore, quo, se in pago fuisse, non abnegabant A. et B. duos Iudeos  
 intrare in aream cuiusdam villae (Bauerhof) eius pagi, vtrumque  
 caerulea indutum ueste, quorum alter paulo post iterum ex area exie-  
 rat quidem, sed manserat in platea, considens in ligno ante id praed-  
 ium, in quod cum altero introiuerat, posito. Quid deinde amplius  
 hi duo Iudei fecerint, foemina illa non viderat, suis vacans negotiis.  
 Haec omnia illa foemina iure suo iurando confirmauerat. A. nega-  
 bat prorsus, se cum socio, aut alterutrum, introiuisse in aliquam  
 aream. B. vero affirmabat, se cum socio in areas quasdam intrasse,  
 addito tamen, si aliquem hominem ibi vidissent. Incolae eius praed-  
 ii, in quod introire viderat Iudeos foemina, erant dominus eius-  
 dem, huius vxor et filius infans, vidua item quaedam, cui in illo  
 praedio vſusfructus referuatus erat. Collegerat sibi haec vidua ultra  
 XXXX. thaleros, quos habebat in olla, vt est mos istorum hominum,  
 posita in arcae sua, in qua custodiebat uestes et linteamenta, parte  
 ima, quam aream bene clausam tenebat. Haec pecuniae summa col-  
 lecta erat in nummis electoralibus Saxoniciis argenteis maximè ponde-  
 ris et proxime in sequentis secundum puritatem ex Viennensi conuen-  
 tione statutam cusis, (Conventionsmäſige Species Thaler und Gulden),  
 excepto uno eiusdem maximè ponderis nummo, antiquiore eo, ita, vt  
 mulier bene distinguere non potuisset, cuiusnam sit notae, quamvis  
 externus eius habitus ipsi sat suerit cognitus. Præterea, cum hu-  
 midus esset locus, in quo stebat arca, nummos, falsim plerosque, situ  
 obductos esse, certo sciebat haec vidua. Per tres dies ante hunc diem

fatalem aream non recluserat. Quarto autem antecedente id fecerat; suamque pecuniam intactam atque incolumem inuenierat. Attamen per illos tres dies non exierat ex praedio. Iam eo tempore, quo A. et B. visi erant ab illa foemina, de qua antea dictum est, dominus praedii cum vxore negotiorum oeconomicorum causa erant in agro, vidua sola cum infante ipsius custodiae tradito in domo relicta. Infeliciter suscepit ea cogitationem visitandi amicam, quam in eo pago habebat. Igitur ianua domus antica, quae spectabat plateam, intus optime obserata, aliquis ianuis, quae in domo erant clausis non tam obseratis, e ianua postica, per quam in aream ducebatur, exhibat, eique a parte externa obiiciebat seram eius generis, quod vbi cunque applicari potest, sed, minime metuens fortunam aduersam, eam tamen non compressam. Ibat nunc cum infante ad vicinam mulierem. Post breve tempus rediit. Seram adiectam ianuae posticae inuenit adhaerentem in eodem statu (vel saltim, ut credendum est, in eodem inuenire sibi visa est), in quo eam applicaverat ad ianuam vel ad ferreum portus retinaculum. Cum vero in dominum veniret, vidit ianuam vnam, quam clausam reliquerat, paululum apertam. Iam, concipiens suspicionem, aliquem peregrinum praeter opinionem fuisse in domo, omnia perquirebat, cumque ad suam arcam accederet, eam quidem firmiter reperiebat clausam, sed, ea reclusa, ordinem rerum suarum maxime perturbatum. Pecuniam igitur anxie queritans ablatum iam hoc senectutis suae praesidium sentit. Statim, ut nemo non augurabitur, misera in plateam cum magno clamore procurrit, ut damnum, quod perpessa erat, obuenientibus enarrare possit. Ad anus clamorem fit undique concursus. Inter eos, qui conveniebant, erat etiam foemina illa, quae viderat duos Iudeos introire in aream praedii. Quod cum narrasset circumstantibus, atque, quam viam inierant illi duo, ab alio expositorum fuisset, dominus istius prae-

dii cum aliis partim equo vechi eos persequabantur. Postquam per aliquem pagum iter fecissent, vltius procedentes inueniebant tres Iudeos non procul ab aliqua sylva iuxta viam publicam sedentes, quorum duo caeruleis vestibus erant induiti, quem in modum descriperat ista foemina duos istos, quos pagum permeare viderat. Erant hi duo isti, quos A. et B. nominauit. Tertius erat C., qui quidem, vt fassus deinde est, per pagum etiam fuerat, non tamen cum istis duobus, qui ad eum accesserant non procul a pago, cum quibus deinde, quia, vt omnes dicebant, vna eademque iis proposta fuerit via, iter continuauerat. Hos tres homines igitur reducebant persecutores in pagum suum ad scultetum. Ibi cogebantur ad exhibendam pecuniam, quam penes se habebant. Aderat illa furio afflita mulier. Verum, quamvis intererant multi nummi eiusdem generis, quales amiserat, non tamen, eos suos esse, afferere audebat. Suspicio itaque aduersus hos homines admodum decrescebat. Nam quieti etiam in suo loco confederant, neque meticulosi inuenti, neque redditum inultum renuentes. Nihilo tamen feciis a sculteto scabinisque in magistratus custodiad abducebantur. Inter haec consumto die, et dominus praedii, et reliqui familiae magna aegritudine de ea re capti meditabantur sollicite, num quid adhuc reperiatur, quo homines in vincula coniecti possint conuinci. Hoc consilio itaque dominus praedii die sequenti ad illum iterum contendebat locum, in quo confederant Iudei. Perquirebat hunc ipsum pariter, atque loca proxima. Inuenit tandem duas claves adulterinas linteo inuolutas in trunco arboris putredine corrupto, qui parvo spatio distabat a loco, in quo Iudei confidentes reperti erant. Vltius querens inuenit octo nummos supra descripti generis, positos in solo, proxime apud hunc truncum, eosque operitos musco. Obiiciebatur quidem huic inuentioni, quod is praedii dominus solus iuerit ad quaerendum, cum, quod etiam consulitus

tius fuisse, potuisset scabinos vel alios dignos fide homines ad comitandum inuitare. Ipsum tamen factum iureiurando suo confirmavit. Haec inuenta deferebat ad magistratum. Erant ex nummis inventis septem eius generis, quod supra descripsi, Saxonici conuentionalis puritatis, omnesque sibi obduci, octauus valde a reliquis distinctus externa sua forma. Itaque mulieri furto laesae a iudice monstrabantur octo illi nummi publice, eaque hos omnes suos recognoscet, et de eo, qui a caeteris distinguebatur notis suis, antiquiore dicebat, hunc ipsum esse, quem cum reliquis possedisset, quique ipsi esset notissimus. Haec, et reliqua, quae enarrauerat, quae supra etiam exposui, sub sacramento solito afferuit. Iam ad Iudeos ipsos redeo. Alter, veste caerulea induitus ad iudicem adductus A. nullam plane pecuniam in Saxonia Electorali cusam maioris ponderis apud se habebat. Apud alterum, itidem veste caerulea induitum, B. numi quidem tales, sed pauci, inueniebantur. Verum apud C. multi reperti sunt descripti generis. A. et B., vt narrabant, ex terris Brandenburgicis in Saxoniam paucos dies ante illum, quo furtum factum erat, simul venerant. A. de vita sua ante acta multa quidem narrabat in iudicio interrogatus, sed quae neque probationibus firmari poterant, neque omnia ita comparata, vt facile credi potuerint. Hoc tamen ex omni illa historia latius intelligebatur, hominem esse vagabundum, qui certum locum, in quo degeret, non habebat. B. similia narrabat, de pecunia autem Saxonica, quae apud eum erat invenita, autores quidem prodebat, sed incertos atque incognitos, nec poterant telles inueniri, qui eius affecte confirmarent. Ei alter A. innotuerat non diu ante illum diem, quo vixque in Saxoniam venerat, et quidem hic B. alterum A. in socium sui mercatus mercenarium assumserat. Tandem C., vt narrabat, diutius iam, scilicet circiter per septimanam vel quod excurrit, per terras Saxonicas mercandi causa

erat vagatus, veniens etiam ex terris Brandenburgicis. Sed id quoque probatione deslituebatur. Is tamen sedem aliquam fixam habebat, quod attestatis etiam comprobauit. Quod autem attinet ad pecuniam, cum copiam eius generis habuisset, cuius saepius feci mentionem, se eam a quibusdam, qui ex parte Saxoniae maxime australi emigrassent, in confinio terrarum Brandenburgicarum per permutationem accepisse, asseverabat. Quod, quamvis vero vix simile sit, tamen per aliquid contrarium elidi non poterat. Nam, cum inter pecuniam Saxonicam apud hos homines inuentam nonnulli nummi essent, situ etiam obducti, noluit tamen vidua furtum passa afferere, hos fuisse intersuos. Caeterum negabat eterque A. et B. claves adulteras inuentas suas esse, se eas et nummos inuentos in eos locos posuisse, in quibus reperti erant, negabant etiam, se in viduae pecuniam intulisse manus. Postquam ita interrogati essent et causa fere praeparata, ut defensores constitui debuissent, incuria custodum accidit, ut B. effugeret, ut ex hoc ipso, tum contra hunc B. cum aduersus A. eius socium, suspicio valde augeretur. Litteris equidem et mandatis publicis de comprehendendo reo B. fuit persecutus, nouellisque publicis id cum eius elogio notum factum fuit. Omnia tamen haec frustra fuerunt. Itaque nunc actis ad decisionem transmissis C. quidem absolutus fuit, ita tamen, ut ratam expensarum ferat partem. Quamvis enim contra eum essent haec, quod cum reliquis tanquam socius eorum deprehensus fuerit, quod sumi poterat, claves adulteras et nummos proditores in eius praefentia absconditos fuisse, quid? quod nummi furto ablati, exceptis his, qui nimis ad suspicionem ducere poterant, ipsi fuissent a reliquis dati: tamen, ipsum furtum non commississe, fere pro certo haberi poterat, nummos apud eum inuentos recognoscere laesa nollebat, et quaedam attestata de vita cum laude acta in eo loco, vbi domicilium habebat, produxerat. Non eadem fuit alterius, qui restabat,

A. fortuna. Hunc existimauit Scabinatus ad opus publicum per IV. annos condemnandum, ita tamen, vt, si inter hos annos innocentiam probare possit, citius sit dimittendus. Defensor quidem eius in principio scripti sui statim dicebat, se metuere, odio erga Iudeos aliquid datum iri, quod in innocentem defendendum effectum fortiretur. Verum tantum absunt, qui sententiis ferendis sunt constituti, vt integrum vita scelereque purum nullum esse Iudeum existimat, vt vel ipsa absolutio C. aliud doceat. Verum contra A. indicia maiora erant, quam vt absolui potuisset, periculique res plena, purgatorio causae decisionem relinquere, cum ipsis inter Iudeos eruditis non paucant de speciebus iuramentorum non obligantibus. Multis autem is premebatur coniecturis. Ac primo quidem, quod homo esset vagabundus, qui ad tale delictum patrandum proclivius haberet poterat, quod indicium art. XXV. O. C. C. probat. Alterum indicium erat, quod visus fuerat introire in aream praedii rustici, in quo furtum erat factum, quod scilicet color vestis prodebat, - cum quo tertium iungi potest, quod hoc negauerit contra ea, quae socius B. confessus erat. Non quidem certum erat, vter is fuerit, A. vel B., quem foemina redire viderat e praedio. Verum, etiamsi is A. fuisset, qui redierat, tamen, cum expectasset alterum, qui in praedio remanserat, dolus et facti perpetrandi conscientia et excubias agentem eum presumere licet. Quartum indicium et potissimum fuit inventio clavium adulterinorum et nummorum eorum, quos suos iurans vindicabat vidua laesa, in vicinia eius loci, in quo ipse cum reliquis erat deprehensus. Non inficias eo, potuisse ab alio quoque has res in istum locum positas fuisse. Quodsi tamen locum, tempus et reliqua momenta consideramus, adduci non possumus in hanc contrariam opinionem. Defensor quidem haec arripuerat, instrumenta periculosa et nummos suspectos non esse apud ipsum inventos. Verum, si hoc fuisset, argu-

imentum adfuisse omni exceptione maius, eum commississe furtum, ut praecepit Carolus in *Const. Crim.* art. XVI. Nunc autem, cum non apud ipsum inuenta ea fuerint, coniunctis tantum indicis hoc contra eum probabat, quod in vicinia loci ei fatalis inuentio fuerat facta. Accedebat tandem indicium ex fuga eius, quem socium habuerat, quod iterum probat art. XXV. *Ord. Carol. Crim.* Praesumtio omnino ex hac fuga admodum augeri debebat, cum alias praeterea, quod pauci tantum nummi eius generis, quod superius descriptum est, apud B., apud A. autem nulli plane reperti fuerint, in dubium omnino vocari potuerit, num hi socii criminis suspecti fuerint. Quin nunc poterat multo magis sumi, alterum B. fuisse cum, qui nummos abstulerat, praesertim cum ex numinis apud A. repertis nihil suspicionis deduci potuisse. Urgebat etiam defensor singularitatem testium, quam fidem nullam facere nonnulli scribunt. BOEHMER, *El. Iur. Crim.* §. CLXXXVII. At enim vero, cum ea singularitas non obstatua sed administrativa esset, vim semiplenae probationis tollere non poterat. ENGAV, *Elem. Iur. Crim. L. II.* §. CLXXVIII. At etiam cista a vidua clausa et sera in pristino statu iuventa erat. Verum, qui haec facta sint, illud ex clavibus adulterinis, hoc cum ex astutia furis cauente, tum ex mulieris incuria atque opinione, ad possicam ianuam neminem esse accessurum, qui anticam clausam inuenisset, demonstrari facile poterat. Obiectum item, potuisse intra tres dies, quibus mulier res suas non viserat, alium abstulisse pecuniam. Omnino. Nisi tamen hoc esset, innocentiae ne probatio quidem erat rescrivanda. Praeterea mulier jurauerat, se per istos tres dies domo non fuisse egressam. Tandem ratione generis monetae defensor non-

nulla monebat, quibus in primis iuris iurando a laesa praefrito fidem detrahere conabatur, communia illa in defensionibus legenda, cum de pecunia parata furto ablata agitur. Verum, si talibus scrupulis pungi nos patiamur, vereor, ne vñquam in eius generis delictis suspensus, qui negat, in opus publicum mancipari queat. Cum hac caufa aliam coniungam, tractatam eodem mense in nostro Collegio, huic prorsus similem. In aliquo Lusatiae superioris pago e domo eo tempore, quo incolae aberant, furto ablata erat magna summa pecuniae, linteo a domino inuoluta. Quidam viderat aliquem hominem peregrinum circumire domum illam. Incolae domus cum rediissent, vident ianuam stabuli domui fundi apertam, et suspicione concepta, inspectis rebus suis sentiunt pecuniam ablatam. Orto ex ea re strepitu, is peregrinus, qui adhuc in pago erat, in fugam se confert. Perfecutus a duobus, qui eum cursum capessere viderant, inuenitur in agro inter segetem absconditus. In eodem agro, vltierius quaerentes, quia pecuniae nihil apud eum reperiunt, non procul ab homine inueniunt etiam inter culmos frugum abditam omnem illam pecuniam furto ablata suaque adhuc inuolutam linteo. Nihilotamen feciis is homo, in iudicium deductus et de furto interrogatus, non solum furtum ipsum negabat, sed usque adeo pertinaciam auxit, vt, se per longum tempus in illo pago plane non fuisse, diceret, quamvis antea persecutoribus, ipsum interrogantibus, nomen suum aperuerat. Verum enim vero testibus, qui iurauerant eumque recognouerant, quod ad indicia, coniunctus eandem, quam ille Iudeus, tulit condemnationem.

Et haec quidem de istis. Nunc enim ad laetiora transeo. Commendandus scilicet a me vi muneris est

V I R

PRAENOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS  
CAROLVS FERDINANDVS WEISE  
CLOSTER - GERINGSWALDA - MISNICVS  
IVR. VTR. CAND. ET NOTAR. PVBL. CAES.

qui de vita sua, huic usque acta, ipse exposuit haec:

*Ego, CAROLVS FERDINANDVS WEISE, natus sum Geringswälde, praedio quodam equestri, patri meo olim proprio, d. 5. Augusti a. 1776, Patre vtor CAROLO FERDINANDO WEISE, venatore aulico Serenissimi Electoris Saxoniae, et Matre, IOANNA CHRISTIANA, e gente LOTSIA. Religionem Christianam, et linguae latinae elementa me praeceptores domestici docuerunt, quorum ultimus CAROLVS GOTTLIEB RICHTER, nunc Pastor Bibersteinensis, ita me instruxit, ut ob singularem diligentiam, atque curam adhibitam, nec non ob praecepitum amorem, quo bodie me adhuc amplectitur, ad cineres usque, eum culturus sum. Anno aetatis XV. domum paternam reliqui, et illustri Afraneo, quod floret Misenae, per singulare beneficium Principis, tanquam extraneus traditus, ibi per duos annos cum dimidio, arctiori curae Praecell. TZSCHVCKII Conrectoris demandatus, ab hoc, et reliquis praeceptoribus, literis humanitatis imbutus sum. Anno 1794. Lipsiam adii, ibique*

a Summe Venerabili BVRSCHERO in numerum studiorum receptus sum, atque in hac musarum sede Ill. FLECKIVM in historia iuris, Ill. HAVBOLDVM in institutionibus et Excell. PLATNERVM in logica praceptoribus habui. Anno 1795. Vitebergam me contuli, ibique Ill. HOMMELIO, tunc temporis Rectori Academiae Magnifico, fidem et obedientiam promisi. Ab eo tempore scholas Virorum Illustrium ac Iureconsultissimorum WIE SANDII, KLÜGELII, HOMMELII, WERNSDORFII et STÜBELII frequentaui, nec non praelectionibus Virorum Excellentissimorum ac Iureconsultissimorum PFOTENHAVERI ac ZACHARIAE interfui, quibus omnibus pro utilitate, quam ex eorum institutione percepi, gratias ago quas possum maximas. Anno 1798. praeterito iterum Lipsiam reversus die VIII. Iunii sub Praesidio Ill. IVNGHANSII varias iuris theses publice defendi, et examinibus, quae vocant pro praxi et pro notariatu, mense Julio ai. praet. feliciter superatis, per annum integrum exercitationibus practicis operam dedi. Ut denique ex studiis meis vberiores fructus perciperem, mense Octobri ai. c. iterum Vitebergam profectus sum, et Ill. ICtorum ordinem rogaui, ut ad examen pro Candidaturu et rigorosum me admittere, mibique, bis superatis, summos in utroque iure honores tribuire velit.

Admissus est ad haec examina ab Ordine nuperirine, cumque  
in his, cum in responcionibus, tum in legum explicationibus in iuris  
scientia probe exercitatus inueniretur, Ordo decreuit, eum maxime  
dignum esse, cui licentia ad summos in vitroque iure honores impe-  
trandos dari possit, dummodo ultimum ex his, quae in hac causa  
necessaria sunt, ederet eruditionis specimen, in defendendo solenni  
disputatione publice edito scripto consistens. Crastino igitur die,  
nimicrum IV. Novembris, dissertationem inaugurem: *de modis, quibus*  
*danni furto dati restitutio fieri posset, ac de huius ad poenam mitigandam*  
*effectu, et quidem ex beneficio SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS*  
*sine praeside aduersariorum publicae disquisitioni submittet.* Quam  
solennitatem, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS,  
COMITES ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRIS LIBER BARO, RERVVM  
DIVINARVM HUMANARVMQVE DOCTORES, GENEROSISSIMI item et  
NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES sua praesentia benebole ornare ve-  
lint, et me et Ordinis mei nomine humanissime et obseruanter rogo,  
P. P. Dom. xxiv. post Trinit. festum A. O. R. cIcCCLXXXVIII.

Wittenberg, Diss.; 1799-1801

ULB Halle

004 335 929

3



f

Sb.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



# COLLEGII IVRIDICI

I N

A C A D E M I A W I T T E N B E R G E N S I

H. T.

D E C A N V S

D. ERNESTVS GOTTFR. CHRISTIANVS  
K L V G E L

CODIC. PROF. P. O. CVR. PROVINC. ELECT. CONSIST.  
ECCLES. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. WITTEMBERG.

IVDIC. ITEM PROVINC. IN LVSAT. INF. MARCH.

ASSESSOR ORD.

L. B. S.

i n e f t

*exemplum magnae suspicionis furti commissi ex  
indiciis coniunctis.*

